

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Lectionvm Tvm Pvblicarvm, Tvm Privatarvm, Qvas Semestri Hyberno Institvet, Ratione Ac Methodo Disserit, Et Sacrarvm Literarvm Cvltores Ad Illas ...

Rambach, Johann Jakob

Giessæ, [1731?]

VD18 13487388

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199755

FVTVRIS SVIS AVDITORIBVS,
IN CHRISTO DILECTISSIMIS,

S. P. D.

IO. IACOBVS RAMBACH.

QVum diuina prouidentia factum sit, vt a Serenissimo Principe, ERNESTO LVDOVICO, Hassiæ Landgrauio, Domino meo longe clementissimo, ex academia Fridericiana in hanc Ludouicianam ad docendam theologiam euocatus fuerim; post reliquas reliquorum munerum curas, quæ primum sibi tempus suo quodam iure hætenus vindicarunt, cum nouo semestri ad operas quoque academicas, quod DEVS bene vertat! me accingo. Signum illorum laborum & velut tesseram dedit ORATIO de *paterno doctoris academici erga auditores suos adfectu*, ante paucos dies publice recitata, & typis propediem tradenda, in qua mihimet ipse normam præscripsi, in muneris academici curatione constanter deinceps obseruandam. Vos, COMMILITONES DILECTISSIMI, vt paterno isti, quo vos complectar, adfectui ita respondeatis, prout bonæ indolis filios decet, vestrarum posthac partium esse ducetis.

Equidem lectiones, primo hoc semestri habendas, ex publico lectionum catalogo iam pridem cognouistis. Sed vt plenius vobis constet, quid in iis expectandum habeatis, breuiter de earum ratione ac methodo mihi differendum putauit, monita quædam de vtili collegiorum tractatione subiungaturus.

Publicas lectiones, hora matutina IX. diebus Lune, Martis, Mercurii, & Veneris habendas, occupabit HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI, ab orbe condito ad natum vsque Christum distinctis periodis, ac perio-

dorum membris, ordine tradenda. De harum lectionum methodo sequentia vobiscum momenta communicare lubet.

1. Quum fons huius historiae, (si postrema eius secula excipias, ex FLAVII IOSEPHI *antiquitatibus iudaicis* supplenda,) sit *sacra veteris testamenti tabula*: id maxime agam, ut quae in diuinis illis libris quadam obscuritate circumfusa sunt, in clariore luce ponantur, ut adparentium contradictionum nubeculae commodis conciliationibus dissipentur, ut a profanis irrisorum obiectiunculis scripturae miracula, aliaque facta, quae imperitorum fidem superant, vindicentur, ut nodi denique, quae in chronologia biblica latent, non fecentur, sed apte soluantur.

2. In re ipsa ad duo illa *regna*, sibi opposita, constanter respiciam, regnum scilicet lucis & tenebrarum. Ad regnum *lucis* pertinet 1) historia personarum, quarum opera DEVS in vera ecclesia fundanda, propaganda, purganda, regenda vsus est, in statu politico pariter atque ecclesiastico; 2) status doctrinae de promisso semine mulieris; 3) forma cultus externi, cum regimine ecclesiae & disciplina. Ad regnum *tenebrarum* spectat 1) historia illorum hominum, quos Satanas aduersus regnum lucis armauit, persecutorum maxime & seductorum; 2) corruptio verae doctrinae per errores & schismata; 3) origo & progressus cultuum idololatricorum variarumque superstitionum. Haec duo igitur regna ut per vniuersum veteris testamenti tractum auditoribus penitus innotescant, operam omnem dabo. Ea enim in re cardinem veteris historiae verti existimo.

3. Eo totam tractationem dirigam, non ut curiositati tantum satisfiat, animusque iucunda tot euentuum varietate pascatur; sed ut ad cognitionem viarum DEI, per quas inde ab orbe condito ecclesiam duxit, via sternatur, ut eius iustitia, sanctitas, veritas, potentia, sapientia illustretur, ut
fides

fides denique, amor ac spes alatur. Eum in finem varias hinc inde *observationes practicas* rerum narrationibus, velut condimenta, interspergam, quo auditores ex historia ecclesiastica, tamquam schola pietatis ac prudentiæ christianæ, animum referant meliorem.

4. Singulis periodis breues adiicientur *synchronismi* rei ciuilis ac literariæ, vt quæ antiquis illis temporibus imperiorum facies, qui status eruditionis fuerit, ex succincta narratione constet: cui & scriptorum sacrorum veterumque doctorum ac philosophorum *vite* interspergentur, indicatis subinde fontibus, ex quibus plura hauriri possunt.

5. In *chronologia* computum sequar celeberrimi IACOBI VSSERII, cuius calculum eruditissimi viri, qui nostra ætate historiam V. T. ecclesiasticam iustis voluminibus illustrarunt, venerandus IO. FRANCISCVS BVDDEVS, IOACHIMVS LANGIVS, IO. HIERONYMVS WIEGLEBIVS, alique, adoptauere; quorum scripta in hoc collegio commentarii loco esse poterunt.

6. Ob defectum compendii, quod pauperioribus etiam vili pretio parabile sit, breuissimis verbis in calamum ea dictabo, quæ fundamenti loco substernentur, vberiori discursu illustranda.

7. Inter nimiam breuitatem & prolixitatem ita medium tenere studebo, vt integra hæc historia, quæ quatuor millenaria complectitur, stupenda euentuum multitudine illustra, intra anni spatium ad finem, DEO volente, perducatur.

Prinæ lectiones, hora III. pomeridiana, diebus *Lune, Martis, Iouis* ac *Veneris* habendæ, HERMENEVTICÆ SACRÆ destinabuntur.

1. Fundamenti loco ponentur *institutiones hermeneuticæ sacra*, a me olim conscriptæ, & tertia vice Ienæ M D CC XXIX. recusæ; in quibus tamen tractandis ita versabor, vt ii

sup

X 3

etiam,

etiam, qui libro carent, sine detrimento his scholis interesse possint.

2. Prima cura erit, ut *regula*, in scriptura interpretanda obseruanda, clare & distincte explicentur, solideque demonstrentur.

3. Altera cura erit, ut regulis per *exemplorum* copiam lux & vita accedat: qua occasione multæ dictorum biblicorum difficiliorum centuriæ illustrabuntur.

4. Si qui inter Dn. Auditores erunt, qui in *elaborandis specimenibus hermenenticis* suas nonnumquam vires experiri velint, iis prælegendis censendisque libenter operam impendam.

5. Neque fructu suo carebit, si pars aliqua postremæ singularum hebdomadum horæ consumatur in succincta *repetitione* eorum, quæ illa hebdomade pertractata fuere, per modum *examinis* instituenda.

Tres præterea singulis hebdomadibus horas vtilitatibus Dn. Commilitonum gratis ac libenter consecrabo.

1. Horam nonam die Saturni *exercitio homilærico* ita impendam, ut, vna hebdomade, *sacra* in sacrum aliquem textum *oratio*, a quopiam Dn. Auditorum elaborata, in auditorio priuato ex cathedra recitetur, cui ego deinceps iudicium meum de iis, quæ circa rem, ordinem, stilum, pronuntiationem ac gestus desiderari possint, candide subiungam; altera hebdomade ii, qui nondum eam habilitatem nacti sunt, ut integras componere conciones possint, *breuioribus meditationibus*, in selecta dicta biblica proponendis, me duce ac præside adfuefiant. Præmittam hisce exercitiis breuissimam recensitionem monitorum, quæ ad singulas concionum partes rite ac prudenter formandas, facere possunt.

2. Die Iouis, quo ob concionem a me habendam lectio publica historica cessat, singulari *lectione methodologica* fideliter ostendam, qua methodo studia sacra rectissime tractari, qua

qua

quæ adiuumenta adhiberi, quæ euitari impedimenta debeant: quam operam studiosis Theologiæ multum profuturam confido. Et hac quidem hieme de tribus istis subsidiis generalioribus, quæ B. LVTHERO iudice, theologum faciunt, *oratione, meditatione ac tentatione* ex instituto agam.

3. Denique post finita diebus dominicis publica sacra in gratiam Studiosorum *lectione practica* ea tradam, quæ ad praxin vitæ christianæ, a theologiæ cultoribus recte componendæ, pertinent, certissimumque in sacro ministerio vsum habent; idque duce PAVLO in epistola ad *Titum* scripta.

Hoc est, NOBILISSIMI DN. AUDITORES, schema laborum, hoc semestri hyberno, si DEVS vitam viresque concesserit, exantlandorum. Futuro semestri æstiuo id agam maxime, vt theologiæ *dogmatica* ac *moralis* fundamenta summa vobis fide tradam. Interim ex publicis etiam concionibus, quæ die Iouis a me habentur, in quibus vniuersum *salutis ordinem* propediem pertractare adgrediar, multiplicem vtilitatem, si vultis, haurire poteritis. Ceterum ita in posterum lectiones meas ordinabo, vt, qui diligentiam adhibere, abdicatisque inutilibus *feriis*, tempus vtiliter collocare velint, intra *triennium* præcipuas theologiæ partes, me duce, pertractare possint.

Tria vero obseruanda sunt ab iis, qui collegiis frequentandis cum fructu vacare velint. *Primum* est, vt sese ad quamlibet lectionem *preparent*, atque argumentum, ea tractandum, præuia quadam meditatione prælibare studeant. Rectius enim omnia faciliusque intelliget, qui rem proponendam ante, quam ad auditorium accesserit, quodammodo sibi reddidit familiarem. *Alterum* est, vt in ipsa auscultatione docentis, nullis hiatibus temere interrumpenda, in vsus suos quadam sibi *notent*, chartæque mandent, quæ fulcro esse possint memoriæ, facilioremque reddere auditorum recordationem.

nem.

(o)

nem. Duo hic extrema fugienda sunt, vt neque nihil ad-
notetur, neque omne tempus scribendo consumatur, quod
noxium est attentioni. *Tertium* est, vt diligenter *repetant* au-
dita, inque succum & sanguinem *meditando* conuertere adni-
tantur. Facilius istud repetitionis negotium succedet, si,
prandio ac cœna peracta, duo contubernales siue vernaculo
siue latino sermone (quem hoc modo simul exercendi occa-
sionem habent) sibi enarrent, quæ quisque illo die notatu di-
gna in lectionibus obseruauit. Hanc viam quisquis in audi-
endis præceptorum suorum lectionibus ingreditur, suosque
labores precibus ac suspiriis veluti condit; is breui tempore
non pœnitendos faciet in augenda sacra scientia profectus.

Semper tamen, o DILECTI, velim vt cogitetis, in
studio theologico scientiæ conscientięque curam firmis nexibus
esse coniungendam. *Est enim studium theologicum*, ex magni
theologi definitione, cultura animi, qua is sub gratioso Spiritus
sancti ductu, piis precibus impetrando, accurata vniuersę veritatis
diuinę e scripturis sacris agnitione imbuitur, assiduęque eius praxi
in ea confirmatur; eum in finem, vt, qui huic studio operam de-
derit, eoque ad sui ipsius spiritualem emendationem recte usus sit,
deinde doctrinę puritate, vitę inculpatę exemplo, ac sapientię dono
aliis pręluceat, ad tyrannidem Satani destruendam, DEI vero re-
gnum inter homines amplificandum, quo omnes, quotquot gratiæ
diuinę, per verbum operanti, non posuerint obicem, sapientes red-
dantur ad salutem, vitamque eternam per fidem in IESVM CHRI-
STVM consequantur. Hanc picturam in fine programmatiss co-
ram oculis vestris adpendere volui, vt in studii vestri theologici
tractatione ad eam identidem respicere vberrimo cum fructu
possitis. Valete, o MEI, meumque vobis inseruiendi studi-
um alacritate vestra suffulcite. Dabam ex Museo,

d. XIII. Octob. M. DCC XXXI.



